

Tempus ueræ coniunctionis & oppositionis luminarium  
explorare.



**H**ABEAS tempus mediæ coniunctionis uel oppositionis per 22. Item medium motum Solis & Lunæ cum eorum argumentis. Deinde quære ad hoc tempus uerum locum Solis, ut dictum est supra, scilicet subtrahendo augem eius ad idem tempus computatam, de Solis motu medio formando argumentum. Inuenias quoque uerum motum Lunæ per eius argumentum tantum.

In oppositione tamen medio motui Solis 6 sig. adijcias, quibus inuentis referua adhuc eorum argumenta in parte. Quo factio subtrahe uerum motum unius luminaris de alterius uero motu, minorem scilicet de maiore, remanebit differentia, quæ tamen semper ulteriori luminari in zodiaco deputatur. Quæ si Solis fuerit, significat coniunctionem mediã præcedere ueram, ita uidelicet quod tempus ueræ coniunctionis sequitur postquam mediã coniunctio complete transacta est. Si uero dicta differentia fuerit Lunæ, quia motus eius tali casu reperitur maior in sig. grad. minu. &c. quàm motus Solis, quare tunc ueræ coniunctionis tempus completur antequam mediã coniunctio fieri possit. In oppositione autem, si Luna nadir Solis nondum attigit, tunc oppositio uera post mediã uentura est. Si uero pertransiuit, iam erat oppositio uera in breuiore tempore, quàm contingat mediã eorum oppositio. Quatenus autem inuenias tempus addendum uel subtrahendum à tempore mediæ coniunctionis uel oppositionis: intra cum argumento Lunæ in tabulam quæ intitulatur, Tabula ueri motus Solis & Lunæ in una hora, & motum respectu signi & gradus positum accipe de tabula Lunæ, quem æqua per partem proportionalem si opus fuerit. Simili modo cum argumento Solis de ipsius columna dicte tabulæ, constituas uerum motum Solis in una hora. Quibus habitis, subtrahe motum Solis unius horæ, de motu horario Lunæ, residuum constituendo pro diuisore, quo demum diuidas præhabitam differentiam uerorum motuum Solis & Lunæ respectorum ad tempus mediæ coniunctionis uel oppositionis eorundem, & in quotiente prodibunt horæ. Præmissa tamen reductione ad eandem denominationem. Et si aliquid remanserit indiuisum, per 60 multiplicetur, & productum diuidatur per id quod prius, & inuenientur minuta horarum &c. Extremo autem illud tempus in loco quotientis exortum, tempori mediæ coniunctionis uel oppositionis præhabito adde, si dicta differentia Solis fuerit, uel ab eo rescinde, si Lunæ fuerit differentia appropriata, & aggregatur, uel residuatur tempus ueræ coniunctionis uel oppositionis, prout de aliquo eorum operaris, in diebus, horis &c. à meridie computatum in singulisque differentijs & minutijs complete transactum. Ad hoc ergo tempus si luminarium uera loca inquirantur, eidem puncto longitudinis zodiaci subiacere cernentur, quod ueræ coniunctionis indicium est, diebus licet non æquatis. Aequatio igitur dierum pro eodem tempore comperta, si addita fuerit, cuncta æquata prodibunt, quam sic inuenies: Intra cum sig. & gra. motus Solis tabulam æquationum dierum naturalium cum noctibus suis, & tempus quod in angulo communi offendas in minutis & secundis respectu signi & gradus Solis, æquationem dierum ostendit.

Hanc uero æquationem semper addere oportebit tempori ☉. ☽. uel aspectus luminarium, ut fiant æquatis diebus, ut apud tabulam regionum inuenies. Gratia exempli: Volo inuenire coniunctionem primam anni præfati occurrentem in diebus Ianuarij. Inuenio per 22 coniunctionem mediã luminarium 8 d. 5 h. 14 mi. 56 secund. mensis Ianuarij, medios motus &c.

fig.